

autem petam oblitus frugalitatis humanæ: congeram laborem. *Epist.* xv.

NECESSITAS. — Virtutis via non capit magna opera portantes, multa siquidem oneri, mediocria usui sunt. LACTANT FIRMIAN.

Nemo virtuti facit, nisi qui sequi potest: sequi autem non est facile omnibus: ii possunt quos paupertas exercuit; et virtutis capaces effecit. *IDEM.*, l. VII, *Inst.*, c. 1.

UTILITAS. — Honesta res est læta paupertas; illa vero paupertas non est, si læta non est. Cui cum paupertate bene convenit, dives est: non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est. *SEN.*, *Ep.* x.

Ne imparatus nos fortuna deprehendat, fiat nobis paupertas familiaris. Securius divites erimus, si experti fuerimus, quam non sit grave, esse pauperes. Ad paupertatem suam sponde descendere, præoccupare est tela fortuna. *IDEM.*, *Ep.* xix.

Abbas Pastor dixit: « Paupertas, tribulatio, discretio, hæ sunt operationes solitariae vitæ, scriptum est, quia si fuerint hi tres viri, Noe, Job, et Daniel, Noe personam habet nihil possidentium, Job tribulatum, Daniel discernentium. Si ergo hæ tres actiones sunt in homine, Deus habitat in eo. » *Vit. PP.*, l. V, *libel.* v, n. 10.

Democritus audiens quemdam de paupertate conquerentem dixit ei: « Si non multa desideras, pauca tibi multa videbuntur; desiderium enim contractum, paupertatem divitiis æquipollentem reddit. » Alias dicebat pauperis conditionem multo meliorem esse, quam divitis, eo quod a maximis malis, quibus divites infectantur, scilicet insidiis, odio, invidia, ille sit liber. *BERN.*, t. VI, f. cxiii.

Ariston dicebat, paupertatem esse lucernam, quæ omnia mala demonstrat.

Archeilaus dicere solebat, paupertatem quidem asperam esse, sed bonam proliis nutriticem, ut quæ assuefaciat frugalitati et abstinentiæ, et in universum efficacem virtutum gymnasium sit. *IDEM.*, f. cxiii.

DIGNITAS. — Incipe cum paupertate habere commercium; aude hospes contemnere opes, et te quoque dignum finge Deo. Nemo alius est Deo dignus, quam qui opes contemnit. *SEN.*, ad *Lucill.*

S. Franciscus in regula S. Claræ dicebat: Obligamur ad dominam nostram sanctissimam paupertatem.

JUCUNDITAS. — Redige ad parva, ex quibus cadere non possis; in est paupertati, sine

qua nihil est jucundum, securitas. *IDEM.*, *Ep.* xx.

Senece cecinit, Bene paupertas:

Humili tecto connecta latet.  
Qualitunt alius sepe procellæ,  
Aut evertit fortuna domos.

Juvenalis quoque non male jucunditatem paupertatis explicat, dum canit:

Pauca licet portes agenti vascula puri.  
Nocte iter aggressus gladium, contumque timebis,  
Et motus ad lunam trepidabis arundinis umbram:  
Cantabit vacuus coram latrone viator.

SATR. X.

Quidam Imperatorem incensavit, quod illius insidiis, et otio, et somno fuisset, privatus, videlicet quod illius benignitate e paupere factus esse dives. *PLUT.*, in *Sym.*, l. II.

#### AXIOMATA.

Omnia mea mecum porto, dicebat olim Bias Philosophus.

#### AUCTORES.

Alphonsus Rodriguez, p. III, tract. iii, toto.

Franciscus Arrias, t. III, tr. vii, toto.

Ludovicus de Ponte, t. III, de *Perf.*, tr. vi, c. iii et sequentibus.

Jacobus Alvarez, t. II, l. V, p. II, toto.

Jeremias Drexellius, in *Rosis Mariams*, p. II, c. ix.

Lucas Pinellus, l. II, de *Perf.*, a. c. vii usque ad xiii.

Hieronymus Platus, de *Bono statut Religiosi*, l. I, c. ix, et l. II, c. iii, et l. III, c. viii.

Hugo Rott., in *Via regia*, p. I, c. vii, s. 1, ii, et p. II, c. xix, s. 1, et p. III, c. xxxvi, s. iv.

Humbertus, in *Exhortatione ad tria vota*, c. xiv. usque ad xx.

Eusebius Nierembergius in *Doctrinis asceticis*, l. V. doct. ii, c. vi. et l. II, de *Adorac.* c. x.

Josephus Mans., *Bibl. moralis*, tr. LXIX.

Dabo pacem in finibus vestris: dormietis, et non erit, qui exterreat. Auferam malas bestias, et gladius non transit terminos vestros. *LEV.*, xxvi, 6.

Quæ pacis sunt, sectemur: est quæ adificationis sunt, invicem custodiamus. *ROM.*, xiv, 19.

Obsecro vos, fratres, per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata; sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia. *I COR.*, i, 10.

In quamcumque domum intraveritis, dicite: Pax huic domui: et si fuerit ibi filius pacis, requiescat super eum pax vestra: sin autem, ad vos revertitur. *LUC.*, x, 5.

PAX CUM SEIPSO. — Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, et intelligentias vestras in Christo Jesu. *PHIL.*, iv, 7.

Non est regnum Dei esca et potus: sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu Sancto. *ROM.*, cxviii, 17.

Pax multa diligentibus legem tuam: et non est illis scandalum. *PSAL.* cxvi, 165.

UTILITAS. — Acquiesce igitur ei, et habeto pacem; et per hæc habebis fructus optimos. *JOB.*, xxii, 21.

Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. *MATTH.*, v, 9.

Quis homo, qui vult vitam diligere, et dies videre bonos? declinet a malo, et faciat bonum, inquiret pacem, et sequatur eam. *I PETR.*, iii, 10.

Pacem habete, et Deus pacis et dilectionis erit vobiscum. *II COR.*, xiii, 11.

JUCUNDITAS. — Secura mens quasi jugo convivium. *PROV.*, xvii 15.

#### EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Tunc est vera pax hominis, et vera libertas, quando et caro animo iudice regitur, et animus Deo præsidente gubernatur. *S. LEO.*, in s.

Hæc est vera pax, a Dei voluntate non dividi, et in his, quæ solius Dei sunt, delectari; quando enim sensualitas, nulla parte resistit voluntati, et voluntas nulla parte contradictrici volunti; tunc est serenitas mentis, et tunc est regnum Dei. *IDEM.*

Numquid Deus de uno pisce fecit omnes? de uno equo equos omnes? de una bestia

#### PAX.

#### QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Juxta Cassiodorum, est concordantium in bono animorum ordinata tranquillitas. Vel universalis, ut etiam animi pacem includat, est plurium partium tranquillius consensus. *CASSIODOR.*, in *Psal.*

DIVISIO. — Dividitur pacem cum Deo, proximo, et seipso. « Pax cum Deo » consistit in perfecta voluntatis humanæ cum divina consensione, de qua Christo nato Angeli cecinerunt: Et in terra pax, hominibus bonæ voluntatis. « Pax cum proximo » in tranquillitate hominum inter se conversatione vel colabitatione, quam Christus optari ab Apostolis domum intrantibus voluit: Pax huic domui. « Pax cum seipso » consistit in omnimoda vitiorum ac passionum subjugatione, de qua Apostolus locutus est dicens: Pax Dei, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda et intelligentias vestras.

#### EX S. SCRIPTURA.

PAX CUM DEO. — Orietur in diebus ejus justitia, et abundantia pacis. *PSAL.* lxxi, 7.  
Gratia vobis, et pax ab eo, qui est. *APOC.*, i, iv.

Quis restitit ei, et pacem habuit? *JOB.*, ix.  
Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. *JOAN.*, xiv, 27.

Non est pax impiis, dicit Dominus. *IS.*, xlviii 22.

Et sedebit populus meus in multitudine pacis, in tabernaculis fiducia, et in requie opulenta. *IS.*, xxxii, 17.

PAX CUM PROXIMO. — Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. *HEB.*, xii, 14.

Querite pacem civitatis, ad quam transmigrare vos feci, et orate pro ea ad Deum, quia in pace illius erit pax nobis. *JER.*, xxvi, 7.

omnes bestias? numquid non multas plantas simul terra producit? ventum est ad hominem faciendum, et factus est unus, de uno genus humanum. Nec duos facere voluit separatum masculum et feminam, sed de uno unam. Quare sic et quare ab uno genus humanum unitas commendatur. S. AUG., s. xx.

Pax vera est concordiam habere cum moribus probis, et ligare cum vitis. CASSIOD., super Ps.

Concordia malorum, contraria est bonorum, et sicut optandum est, ut boni pacem habeant invicem. ISID., lib. III, de Summo bono.

Sic oblandum quoque est, ut mali sint discordes: impeditur enim iter bonorum, si unitas non dividatur malorum.

NECESSITAS. — Qui pacem cordis, oris, et operis non habet, Christianus dici non debet. Qui in hac non sperat, in lubrico vitam et pedem ponit, in tempestate navigat in præcipitio ambulat, in arena seminat. S. AUG., s. III, ad FF., in Erem.

Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si unitatem non habet pacis: nec pervenit ad vocabulum filii, si nomen non habet pacifici. ID., s. CLXIX, de Temp.

Si totus hic mundus musica quædam consonans est, cuius opifex et effector Deus; parvus vero mundus homo est, simulque similitudo et imitatio quædam ejus, qui mundum concinnavit, necesse est, ut quod ratio in magno illo et spatio mundo reperit, hoc, ut par est, in parvo itidem conspiciatur. S. GREG. NYSS., tr. I, in Ps.

Castrorum acies ordinata tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, et densata, ut in nullo loco interrupta videatur; nam si locus vacuus, per quem hostis potuit ingredi, dimittitur, profecto jam suis terribilibus non est. Et nos ergo cum contra malignos spiritus spiritualis certaminis aciem ponimus, summopere necesse est, ut per charitatem semper uniti atque constricti, et nunquam interrupti per discordiam inveniamur, quia, quamvis quælibet bona in nobis fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad fuerint, si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie, unde ad feriendos non valet hostis intrare. RUEPERT., in VI Cant.

Quamvis plurima pace, et cura externa fruamur, si intra nos cogitationum nasci-

tur tempestas, tumultus et seditio, nihil externa pax nobis proderit: sicut et neque miserabilis est aliquid civitate, quæ licet præsidii et muris bene munita sit, intus tamen cives foveat proditores. S. CHRYS., hom. XXXIV, in Gen.

UTILITAS. — Revera, fratres, si essemus unum et humanum corpus, eos, qui pe-reunt, nostra viscera crederemus, afflictione jejuni, precum gemitu, effusione gemituum jugiter clamarem: Domine, salva nos, perimus: et studeremus nobis in fratribus subvenire: nec tanta corporum, sed nec animorum naufragia sentiremus. S. CHRYS., s. xx.

Pax est, quæ hominem expoliat servitute, dat nomen ingenium, mutat cum conditione personam, ex famulo liberum facit, filium ex servo, amicum facit ex Deo, Patrem dedit ex Domino. S. AUG., s. XVI, de Temp.

Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis. Hæc est, quæ similitates tollit, bella compescit, iram comprimit, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis est placida, nescit extolli, nescit inflari: hanc, qui accepit, tenet, qui perdidit, repetat, qui amiserit exquirat. IDEM, de Verb. Dom.

Tale bonum est bonum pacis, ut in rebus creatis nihil gratiosius concupisci nihil utilius possideri possit. S. AUG., de Civit. Dei.

Diabolus vos inveniat munitis, et concordia armatos, quia pax vestra bellum est illi. TERONIL., ad Mart.

Concorda cum adversario tuo: nescis, quando vita finiatur. Cum vita finita fuerit, iudex restat, et minister, et carcer. At si servaveris adversario tuo bonam voluntatem, et cum eo consenseris, pro iudice invenies Patrem, pro ministro sævo Angelum tollentem te in sinum Abrahamæ, pro carcere Paradisum. S. AUG., de Verb. Dom.

Dicamus, fratres, his, qui nos odio habent: Paream tibi in re aliqua parva, ut majus aliquid nempe concordiam accipiamus: vincamur, quo vincamus. S. GREG. NAZ., s. III, de Pace.

Pax transitoria est quoddam vestigium pacis æternæ. GREG. in Pace.

Pacis fulgor Ecclesiam illuminat. CHRYS., s. de Patient.

JUCUNDITAS. — Si uxor, maritus, et filii atque domestici in concordia sunt, quid est domus, nisi cælum? si autem discordia est

inter illos, quid est, nisi infernus? S. THOM. VILLAN., in Conc. ad Relig.

Quam bonum et jucundum habitare fratres in unum. Id est, qui sic vivunt in unum (ut S. Augustinus explicat) ut unum hominem faciunt, ut sit illis vere, quod scriptum est, una anima, et unum cor, multa quidem corpora, sed non multa corda. S. AUG., in Psal. CXXXII.

Præcipuum illud est domesticæ pacis ac bonorum omnium fundamentum, si uxor viro per omnia consentiens sit: nam, ubi hoc fit, nihil triste contingere potest. Quo pacto enim, cum caput corpori connexum, conjunctumque sit, ulla ibi seditio, ulla dissensio potest exoriri. S. CHRYS., hom. IV, in II ad Tit.

DIGNITAS. — Angelicis et celestibus copiis nihil tam proprium est, quam pax et concordia. Proinde, qui pacis bonum amplectantur dissensionemque oderunt, ad divinas mentes accedunt. S. GREG. NAZ., ora. I, de Pace.

Pax plebis in Ecclesia est gloria ministrorum. AUGUST., s. CLXIX.

Pax Dei omnem superat pacem. IDEM, c. II, de Civ. Dei.

#### EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

QUALITAS. — Non est pax in corde hominis carnalis, non in homine exterioribus dedito, sed in fervido et spiritali. L. I, c. VI, § 2.

Non sit pax tua in ore hominum, sive enim bene, sive male interpretati fuerint, non es ideo alter homo. L. III, c. XXXVIII, § 2.

Ubi est vera pax, nonne in me? IBID.

Qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfructur pace. IBID.

Pacem omnes desiderant, sed quæ ad veram pacem pertinent, non omnes curant. Pax mea cum hominibus et mansuetis corde. Pax tua erit in multa patientia. L. III, c. XXV, § 1.

In omni re attende tibi, quid facias et quid dicas, et omnem intentionem tuam ad hoc dirige, ut mihi soli placeas, et extra me nihil cupias, vel quæras. Sed de aliorum dietis vel factis nil temere iudices: nec cum rebus tibi non commissis te implices, et po-

terit fieri, ut parum vel raro turberis. IBID.

Quod si ad plenum tui ipsius contemptum perveneris, scito, quod tunc abundantia pacis perfrueris, secundum possibilitatem tui incolatus. IBID., § 9.

#### EXEMPLA.

QUALITAS. — Christus, teste V. Beda, pacatissimo sæculi tempore procreatus est, quia quod pacem magnopere quæreret, et amaret, edocuit; quia quod pacis, charitatisque sectatores semper invicere dignaretur, indicavit. V. BEDA., in Luc., c. II. Sed et S. Ambrosius ait: « Perfecta virtus habet quietis tranquillitatem et stabilitatem, ideo Dominus domum ejus perfectioribus reseravit, dicens: Pacem meam do vobis: pacem meam relinquo vobis. Perfectorum enim est, non facile mundanis moveri, non turbari metu, non exagitari suspitione, non terrore contenti, non dolore vexari, sed quasi in littore tutissimo adversus insurgentes fluctus secularium procellarum mentem immobilem fida statione placare. Hoc firmamentum Christianis mentibus Christus invexit. » S. AMBR., c. VI, lib. de Jacob. Imo et de Deo idipsum affirmans S. Chrysostomus, auctor ipse rerum Deus, ait, jam olim a principio sexcenta commentus est; quibus in unum nos conciliaret.

Julius II Pontifex cum Cæsare et Gallo apud Camerarium fœdus iniens, Hostiam in tres partes divisit, singulis distribuens, addito hoc Christiano voto, ut, sicut sacrosancta Trinitas unus est Deus, ita ipsi deinceps unanimes in hac confederatione permaneat. S. CHRYS., hom. XXIV, in I Cor. GERARDUS RHO., l. X, hist. Aust. p. XCV.

S. Augustinus de seipso dixit: Nolo habere, cum quo litigem. Multo est mihi optabilis, inimicum non habere, quam vincere. S. AUG., s. XII, de Verb. Ap.

SS. Marcus et Marcellianus stiptibus affixi, Psalmum illum cantabant: Ecce quam bonum, et quam jucundum, habitare fratres in unum: cumque irriterent tormenta, erubuit Diocletianus, et lanceis eos confodi jussit. FAB., conc. VI, in Fest. III. Pasch.

In aula Clodovæi Regis cum S. Remigius

Episcopus præparaturus Regem ad baptismum coram Aulicis, exorsus esset verba salutis, repente lux copiosa totam replevit Ecclesiam, et vox audita est dicens : Pax vobis : ego sum, nolite timere : manete in dilectione mea. *Id.*, in *Auctor.*, th. v, in *Fer.* II *Pasc.*, n. 3.

Fridericus III, Saxonie Dux, pacis amans, arcis ac munitiones ab aliis conditas solo æquavit : nec pecunias collegit, sed in usus pios et utiles expendit. Causam rogatus dixit : Ne ego leviter offensus aliquando, arcibus et pecuniis meis confusus, nimis facile vicinos meos inferiores lacessam, et pacem cum eis violam. *Idem*, in conc. VII, *Fer.* III, *Pasc.*, n. 2.

Rudolphus Habsburgensis Comes cum Abbate Sangallensi lites gerens ultra se ad convivium invitans, pacem cum eo fecit, et discedens hoc præclarum monitum dedit : Cui tres sunt lites, meo iudicio recte fecerit, si duabus compositis tertiam tanto diligentius persequatur. *Id.*, n. 5.

Bernagusus Præfectus exercitus Regis Abyssinorum, cum Prælore Lusitano fœdus initurus, apprehensa Cruce genibus nixus : quam, inquit, pacem Jesus Christus generis humani Redemptor discipulis reliquit, eadem esto inter nos qui ejusdem profiteamur cultum et fidem. *MAFFÆUS*, I. VII, *Hist. Ind.*

Ubalduus Euginæ urbis Episcopus, cum cives suos in seditionem versos placare non potuisset et jam ad arma esset concursus, inermis inter tela strictosque mucrones irrumpens, humi prono corpore sese prostravit nec exurrexit, donec illi saucium jacere rati, mutua odia in unius miserationem convertissent; tacens diremit pugnam, quam stans nequiverat inhibere : audacem autem et periculi impavidum fecerat ipse pacis amor. *MARUL.*, I. III.

Agathon Abbas gloriatus est se nunquam cepisse somnum, nisi prius et suam adversum se indignationem placando sopiret, implens illud breve quidem sed multæ perfectionis præceptum : Diverte a malo et fac bonum : inquire pacem et persequere eam. *Idem*.

Edgaro Britannici Regni diadema suscipiente, Dunstanus Cantuariensis Archiepiscopus sibi divinitus prædictum audivit, pacem Britannicæ futuram, quamdiu ille viveret; igitur annos sexdecim quibus regnavit, omnia in summa quiete tranquillitateque

fuere. Perpetuo quippe amicitie fœdere vicinos Reges sibi devinxerat, piratas mari, prædones terra submoverat, in feras etiam proinde avidas severus, a Guidaldo Guandensium Rege tributum exegit, annis singulis, lupos triginta venatione captos : id servatum, donec illud bestiarum genus assiduus cædibus deficit. Nihil esse in regni finibus passus est, quod a pacis quiete foret alienum. Tantus ergo pacifici status amor ipsum usque ad quietem exivit sempiternam, et in celestis regni gloriam sublatum inter sanctos collocavit. *Idem*.

Tanta pax in Apostolis, in Discipulis, in Martyribus et in Confessoribus Christi fuit, ut eam Tyrannorum sævitia discindere non potuerit, non voluptatum illecebra subvertere, non perpetuum diabolus odium, supplantare, omnes discordiarum machinationes sola pax in arce veræ fidei collocata superavit : hand illi pacem nunc haberent in celo, si eam habere desissent in terra : idem velle et idem nolle supernæ beatitatis dignos fecit. *Idem*.

NECESSITAS. — S. Wolffstanus Episcopus Wihormensis, cum, in Dedicatione, de pace sermonem fecisset, et pluribus reconciliatis inter se, unus cum occisore fratris sui reconciliari nollet, dixit eidem in medium deducto : Dominus dixit in Evangelio : « Beati pacifici, quoniam filii Dei, vocabuntur : » constat ergo, quod si pacifici sunt beati et filii Dei, discordantes sint miseri et filii diaboli. Quibus dictis eum diabolo torquendum dedit, nec liberavit, donec pacem cum inimico iniret. *FAB.*, I. c., n. 4.

UTILITAS. — Saul contra hostes pugnaturus, cum mississet in omnes terminos Israel, ut convenirent ad prælium, illi egressi sunt « quasi vir unus, » licet fuerint trecenta millia virorum, ex Juda autem triginta millia. Hinc adeo hostes profligaverunt, ut non relinquerentur in eis duo pariter. *I REG.*, II.

Sed et in libro Judith legitur, quod Assyrii, quia adunati non erant, in fugam iverint præcipientes; filii autem Israel uno agmine persequentes debilitaverint omnes, quos invenire potuissent. *JUDITH.*, XV, 4.

S. Paphnutio olim revelatum est, quemdam Heracleæ sibi meritis parem esse, quem cum ille quæsisset, invenit uxortum quidem, sed cum conjugæ castitatem servasse, justitiæ et pietati studuisse, et

præsertim ad conciliandam inter discordes pacem incubuisse. *PALLADIUS*, c. LXIV.

S. Macario quoque revelatum est, ipsum in meritis duabus mulieribus uxoris Alexandriae parem esse, in quibus quæsitus et inventis, nihil aliud speciale reperit, nisi quod in eadem domo per viginti annos inter se et cum maritis concordēs pacifice semper vixissent. *ROSVEID.*, in *Vita*.

#### EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius cum Provinciis institueret, et nova Collegia fundaret, solitus erat in ea cogere collegas e diversis nationibus. Hinc Rector Romano Collegio Gallus, Hispanus Parisiensis, Perusiano Belga, Patavino Gallus imponebatur. Ut vel sic tam exoptatam inter diversas nationes concordiam obtineret. Quid enim mirabilis, inquit S. Basilii, quam diversis ex nationibus ac regionibus profectos homines, per exactam morum ac disciplinæ similitudinem adeo in unum veluti coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantum animus esse videatur, vicissimque plura corpora unius animi instrumenta cernantur. *ENGELG.*, in *Cel. emp. fest. Pent.*, § 2.

S. Franciscus Xaverius adeo proprium Societatis pacis ac concordie studium dicebat, ut assereret, Societatem Jesu nihil aliud esse, quam Societatem amoris et concordie. *L. VII, Epist.*

P. Petrus Ribadneira dicebat de se et sociis suis in Collegio Panormitano existentibus, qui omnes erant diversæ nationis : Erat enim videri Flandros, Italos, Hispanos, et Gallos, tempore tantorum bellorum inter Hispaniam et Galliam, vivere nihilominus inter se cum tanto amore, ac si non haberemus nisi unum cor. *ENGELG.*, I. c.

Gregorius XIII, Pontifex, tria potissimum in Societate admirari se dicebat, nempe tantam in tam varia excellentique doctrina demissionem animi : deinde tantam in tam viridi, vividaque juventute continentiam : denique tantam in nationum, ingeniorumque diversitate unionem atque concordiam. *Idem*, § 1.

#### EXEMPLA PROFANA.

Legatus Turcicus, cum Francofurti in Tomus III.

electione Maximiliani II. Cesaris tres Electores Saxo, Bavarus, et Judiciensis Casarem antecessentes monstrarentur, dicereturque, quemvis ex his tam potentem esse, ut propriis opibus exercitum contra Turcam educere possit, risisse fertur, et dixisse, Germaniam sibi videri bellum magnis viribus quidem, sed diversis etiam capitibus et caudis constantem; Imperatorem vero suum belluæ unicipiti similem esse, ob quam causam viros utpote unitas fortiores habeat. *Idem*, § 2.

Alius quidam Legatus Turcicus, cum apud Regem Catholicum musicus quidam eum delectare jussus, multum et diu laboraret in fidibus concordandis, morione suo accito, cum arcu utero inserto, e vestigio una fide ludere jussit, abjecto hoc cavillo : Turcicum imperium una fide et corda constaret, ad quam omnes salire deberent; nostram viros variis fidibus contineri ac distrahi. *Idem*.

Cyneas Thessalus Legatus Pyrrhi Regis Epirotarum, cum adverteret Regem cupidine Romanum imperium invadendi ardere, quæsit, quid quæreret per illud bellum? cui cum Pyrrhus responderet, se Italiam, Siciliam, Macedoniam, et Græciam occupaturum, et his regionibus subactis in officium victurum, et mutuis cum Cynea et aliis computationibus, et colloquiis jucunde fructurum, subjecti Cyneas : Cur his ipsis, quæ per multum laborem, sudorem et sanguinem parare intendis, non potius jam frui-mur? ad quod responsum iratus Rex bellum tamen suscepit, et a vetula saxo in obsidione petitus interit. *FAB.*, c. I, in *Dom. 4 post Pasch.*

Tyresius quæsitus, quæ de causa, Numantia prius invita, postea eversa fuisset? respondit : Concordia victoriam discordia exitum peperit. *PLUTARCH.*, in *Græc. apoph.*

Silurus Rex Seytharum moriturus octoginta suis filiis fasciculum ex totidem sagittis colligatum perrexit, et frangere jussit; quod cum singuli recusassent, eo quod id possibile non foret, ipse fasciculum solvit, et nullibet singularem sagittam fingendam dedit, quod cum facili negotio præstitissent, eidem dixit : Sic invecti et vos stabitis, si concordēs manseritis : imbecilles vero, et expugnati faciles efficiemini, si dissiidii et discordiis ab invicem distrahemini. *StroBEUS*, serm. LXXXII.

Mysipsa Rex moriturus filios suos paterno

affectu monebat, ut concordēs manerent, et aureis litteris cordi hanc sententiā inscriberent : concordia res parvæ crescunt discordia maximæ dilabuntur. SALUST., *de Bello Jugurth.*, apud *Berlingk*, tr. viii, in *festo Omnium Sanct.*

Agesilaus Rex percortanti, cur Spartana civitas muris careret, cives exhibuit armatos et unanimes.

Isæus Sophista, cum Lacedemonii de civitate sua mœnibus cingenda consultarent, Homericum versum recitavit : Scutum hæsit scuto, galea galea, atque viro vir : et adjecit : Sic Lacedemonii state, et muris cincti sumus. *Ibid.*

Antonius Pius dicere post Scipionem solebat, male se unum civem servare, quam mille hostes occidere, usque adeo pacem bello præferere. *LING.*, in *Polyanth.* eod.

Otho Imperator, cum videret, aut deponendum imperium, aut magna strage tuendum, statuit sponte mori : cumque amici hortarentur, ne tam cito de belli eventu desperaret, negavit sibi vitam suam esse tanti, ut hac de causa bellum civile nasceretur. *Ibid.*

## SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut ignis juxta materiam subjectam aut diu, aut multum, parumve ac parvo tempore ardet; sic pax animi juxta ea, in quibus quiescit, aut firma est, solidaque, fluxa ac inanis. *STAPLET.*, *dom. Alb.* t. II.

Sicut musica in cantu et organis argue quidem concors est, ex acutis et mediis, et gravis modis, quamquam sint dissimiles; ita firma amicitia non aliter atque una anima in multis corporibus æquabili ratione consistens. *PLUTARCH.*, *de Amic.*

Sicut unitas Trinitatis non confundit ordinem, sed unus est Pater, alius est Filius, alius Spiritus Sanctus; ita unio charitatis non confundit ordinem Fratrum. *TOLETUS*, in *Joan.*

Sicut longa malacia propinquam tempestatem navigantium plerumque minatur; sic diuturna pax Ecclesiæ novarum sæpe turbatum index est. *FAB.*, c. 1, in *Dom. 1 post. Pasch.*

Sicut in horologio plures sunt rotæ, sed omnes conspirant, et juvant ad horas indicandas; ita in fide Catholica conspirant or-

dines et status, tametsi quoad aliqua inter se discrepantes. *Ibid.*

NECESSITAS. — Sicut nullum ædificium diu stare et sustentari potest, si vincula infringantur; ita nec communitas aliqua subsistere potest, si pax et concordia tollatur. *Ibid.*

Sicut si princeps in longinquas regiones abiturus, sponsæ suæ munus in signum amoris relinqueret, magnum esset et turpe ingrati animi vitium, si, eo terga vertente, sponsa illud in sterquilinum projiceret; sic graviter quoque Christum offendit, qui pacem ab eo in cœlos abluente relictam et commendatum non servat. *STAPLET.*, in *Dom.* 3 *Quadr.* 3.

Sicut, ut navis perite dirigatur navitarum concordia requiritur; sic, ut communitas aliqua recte regatur, membrorum unio necessaria est. *BEYL.*, in *Festo OO. SS.*, t. viii.

Sicut ex diversis fistulis quidem construitur organum, uno tamen spiritu instante opus habet; ita licet communitas, ex multis membris compaginetur, concordii tamen sensu opus habet, ut recte gubernetur. *S. THOM.*, in *I Cor.*, xxxi.

Sicut anima non vivificat membra corporis, nisi unita sint; sic neque membra communitatis recte reguntur a Superioribus, nisi per pacem, et concordiam sunt adunata. *S. AUG.*, *de Civ. Dei.*

UTILITAS. — Sicut interdum duo canes semper alioqui inter se discordes, viso lupo, unanimiter ipsum sequuntur, et ab illo tempore concordēs manent; ita carne et spiritu (quæ sibi invicem naturaliter adversantur) per Christi gratiam conciliatis, et communem hostem diabolum impugnantibus, arciori inter se federe conjunguntur. *STAPLET.*, t. ii, in *Dom.*, in *Albis.*

Sicut nervi corporis membra adunant, et unum corpus efficiunt; sic pacis vinculum civitates, familias, adeoque totam generis humani sobolem ligat et connectit. *BEYL.*, t. viii, in *Festo omnium Sanct.*

DIGNITAS. — Sicut Rex plurimum Regnorum, melioris Regni Rex denominatur, ut Hispaniæ Rex, tacito Neapolitano, Siciliano, Lusitano, etc., sic Deus tanti pacem æstimat, ut Deus pacis vellet appellari. *STAPLET.*, t. xiv, in *Dom. Pent.*

JUCUNDITAS. — Sicut nemo, qui gaudere nolit; ita nemo, est qui nolit habere pacem. *BEYL.*, l. c.

## MEDIA.

« Mandatorum observatio : » si enim Deus ipse per Isaiam suasit dicens : Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut fumen pax tua. *Is. XLVIII*, 18. Hinc et *S. Augustinus*, duæ, inquit, sunt amicæ, Justitia et Pax, tu forte unam vis, et alteram non facies. *S. AUG.*, in *Psalm.* LXXXIV. Nemo enim est, qui non velit pacem, sed non omnes operari volunt justitiam. Interroga omnes homines, vis pacem? uno ore respondedit tibi genus humanum : opto, cupio, amo, volo. Ama justitiam, quia duæ amicæ sunt, Justitia et Pax, et ipsæ se osculantur. Si amicam pacis non amaveris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Hinc et *S. Paulus* in omnibus fere Epistolis pro salute ponit : Gratia et Pax.

« Radicis sublatio : » de qua *Seneca*, quietissimam, inquit, vitam agerent homines in terra, si hæc duo verba, a natura omnium tollerent, neum, ac tuum. *Petrarcha* vero quatuor, ait, vobiscum habitant pacis hostes, avaritia, invidia, superbia, ira. Has in æternum pellite, pax æterna erit. *SENEC.*, *de Benef.*

« Amor Dei » nam quo lineæ centro propinquiores sunt, hoc magis inter se coeunt, et propinquiores fiunt. Hinc *S. Gregorius* illud *Jobi* : Nunc enim dormiens silerem et somno meo requiescerem cum Regibus et Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines : huc applicat dicens : Recte dicitur, quia ædificant sibi solitudines. Solitudines quippe ædificare est, a secreto cordis terrenorum desideriorum tumultus expellere, et intentionem æternæ patriæ in amorem intimæ quietis anhelare. An non cunctos a se cogitationum tumultus expulerat, qui dicebat : Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ? a frequentia quippe terrenorum desideriorum fugerat, et ad magnam solitudinem semetipsum contulerat. A tumultu rerum corporalium magnum quemdam secessum petierat, hoc est, quietam mentem, in qua tanto prius Deum cernebat, quanto hunc cum se solo inveniret. *JOB*, iii, 14; *S. GREG.*, in *lib. IV Mor.*

« Crebra Eucharistiæ sumptio ; » nam, teste divo *Dionysio*, divinissima unius, ejus-

demque panis atque poculi communis, pacificaque communicatio, divinam illis velut convictoribus morum conjunctionem sanctit. *S. DIONYS.*, c. iii, *Hier.* Et, ut *S. Chrysostomus* ait, propterea semetipsum nobis immiscuit, et corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus tamquam corpus capiti coaptatum. Ardens enim amantium hoc est. *S. CHRYS.*, hom. *LXX ad Pop.* Hinc et *S. Cyprianus* monet : Quibus unus est panis, unum est corpus, sit omnium cor, et anima una uni Christo adhærens. *S. CYPR.*, s. *de Cœn. Dom.*

## ASCETICA.

Quatuor sunt præcipue, quæ de pace interna maxime nosse et observare debet Asceta. Primum est, ut bene cognoscat, quid sit veram animi pacem habere. Nempe ut animus hominis nullo inordinato affectu aut passione, qui sunt gravissimi hostes animæ, turbetur. Perfecta namque victoria (et per consequens etiam pax) est de semetipso triumphare; qui enim semetipsum subjecit tenet, ut sensualitas rationi, et ratio in cunctis obediat Deo, hic vere victor est sui, et dominus mundi, inquit recte *Thomas Kempensis*, l. III, c. xxxv, § 2. In quem sensum etiam *S. Augustinus*, pacifici, inquit, in seipsis sunt, qui omnes animi motus componentes, et subjicientes rationi, et spiritui, carnalesque concupiscentias habentes edomitas fiunt regnum Dei, in quo ita ordinata sunt omnia, ut id, quod est in homine præcipuum et excellens hoc imperet, cæteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestitque communia. Atque idipsum, quod excellit in homine, id est mens et ratio, subjiciatur potiori, Deo scilicet. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati perfectique sapientis. *S. AUG.*, l. I, *de Ser. Dom.* in *monte.*

Alterum est, ut digne æstimet, et ardens quærat hanc pacem : quod obfinebit, si bene consideret. quod *S. Hieronymus* dixit : Omne secundum Philosophos tantum habet bonitatis, quantum habet unitatis : propterea in exordio mundi vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona. *S. HIER.*, in *reg. Mon. Imo*, ut *S. Augustinus* ait : Tanta vis et potentia unitatis est, ut quæ bona

sunt, tunc multam etiam placeant, cum in universum aliquid conveniunt, atque concurrunt. Universum autem ab unitate nomen accepit. Et vero, fructus hujus pacis ex ipsa similitudine cum pace externa satis colligi potest: ut enim concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur; ita id ipsum de pace interna cum divitiis, et opibus spiritualibus comparata dici potest. S. AUG., l. I, de *Genes. contra Manich.*, c. XXI.

Tertium est, ut fortiter rejicere norit potissima impedimenta pacis, quorum quatuor quidem assignat S. Bernardus, scilicet culpam mordentem, curam pungentem, affectum vigentem, et tribulationem cruciantem; sed forte omnia ad inordinatam concupiscentiam reduci possunt juxta illud S. Jacobi: Unde bella et lites in vobis? Nonne hinc ex concupiscentiis vestris, quæ militant in membris vestris. JAC., IV, 4. Et hoc est, quod pius Auctor indicare voluit, dicens: « Juvat igitur non quælibet res adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta, et decisa ex corde radicatus. Nec diu stabit pax illa quæ sita forinsecus, si vacat a vero fundamentum status cordis. L. III, c. XXVII, § 3.

Quartum est, ut etiam adjumenta ad dictam pacem conducenda noverit, quæ quidem pariter ad quatuor capita revocabit pius Asceta, dum dixit: Fili, nunc docebo te viam pacis, et veræ libertatis. Stude alterius potius facere voluntatem, quam tuam. Elige semper minus, quam plus habere. Quære semper inferiorem locum, et omnibus subesse. Opta semper, et ora ut voluntas Dei integre in te fiat. Ecce talis homo ingreditur fines pacis, et quietis. L. III, c. XXIII, § 4.

## MISCELLANEA.

QUALITAS. — Sapienter pronuntiavit Seneca: « Omne hoc, quod vides, quod divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni » Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem et in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, et sociabiles fecit. SENEC., ep. LXXIII.

D. Anselmus concordiam perapposite Or-

gano comparavit, cui hoc lemma superne inscripsit: In uno spiritu omnes nos, infra vero: Conspirat amice. S. ANSEL., l. *Simil.*

Melchisedech Rex justitiæ, et Rex pacis vocatus est, quia quisquis justitiam habet, comite ejus pace carere non potest. GRANAT., *Loc. com.*, f. 344.

Philo dicebat, pacem maximum, et divinum esse bonum, quod nullus mortalium præstare potest. ANTON., s. de *Char.*

In Æthiopia tanta copia anguium reperitur, ut, quoniam in gyrum convolvuntur, montium speciem replant; quæ causa forte fuit, ut caduceum in pacis, et concordiæ argumentum effigie anguium exteræ gentes cingant. VAL., l. XV, pag. 145.

NECESSITAS. — Animalia in Arca Noe, etiamsi natura sua fera, et indomita fuerint, quamdiu tamen in Arca manserunt, mansueta et pacifica fuere; idem faciendum Christianis, si in Ecclesiæ arca manere volunt. STAPLET., tom. IV, in *Fest. Pen.*

UTILITAS. — Ut circumspiciamus omnia, quæ populo grata sunt atque jucunda, nihil tam populare, quam pacem, quam concordiam, quam otium reperimus. CICERO, *Pro lege.*

Nihil perniciosius civitati, quam divisio, ut nihil melius, quam unio. AGRARIA.

Nomen pacis dulce est, et ipsa res salutaris. Pax est tranquilla libertas. PLATO, de *Republ.*

Pacem, si sine vitis veniret, et celestem munus, et secundum nulli bonum fateor. Raro autem sine vitis venit. CICERO, in *Philipp.*

Romæ olim templum magnificentissimum Pacis extractum fuit, in quo sacellum Deæ Vitiplacæ erat, ad quod vir, et uxor, exorto jurgio, conveniebant, et quæ voluerant locuti, contentione deposita, concordem revertebantur. PETRAR., *Dial. cvl.*

Vespasianus, ut significaret, pacem esse matrem abundantiae, nummis duas spicas et duabus manibus conjunctis egredientes insculpi jussit. VAL. MAX., l. II, c. 1.

Sertorius Dux Romanus, ut doceret exercitum Romanum per partes convelli posse, duos equos, validissimum unum, alterum debillissimum proposuit, et hujus caudam a fortissimo juvene evelli, illius vero a senibus paulatim per partes auferri jussit, quod isti facile, non autem juvenis potuit. FAB., concio. VI, in *Fer. 3 Pasch.*; VAL. MAX., l. VII, c. III.

## AUCTORES.

Henricus Engelgrave, in *Cælo Empireo in Festo Pentecost.*

Mathias Faber, conc. 1, in *Dom. 1 post Pascha*, et *fer. 3 Pasch.*, conc. VI.

Thomas Stapletonus, them. III, *Dom. 3 Quadr.* et them. III, *Dom. 3 Pent.* Item *Dom. 1 post Pascha*, them. II, et *Dom. Pent.*, them. IV.

Laurentius Beyrlinck, in *Promptuar.*, them. VIII, in *Festo Omnium Sanctorum.* Item, in *Theatro vita humanæ.* Vide eodem. Josephus Langius, in *Polyanth.* V. eod.

Ludovicianus Granatensis, in *Locis communib.* fol. 339.

## PECCATUM.

## QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est juxta S. Thomam, actus devians ab ordine debiti finis, contra regulam naturæ, rationis, vel legis æternæ. S. TH., II, 2, qu. 163, ar. 1 et 4, 2, q. XXI, ar. 1. Vel aversio ab incommutabili bono, et conversio indebita ad commutabile bonum, juxta Sanctum Augustinum. S. AUG., l. de *Lib. arbit.* Aut juxta eundem: Est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam. IS., lib. XXII, *cont. Fon.* Aut cum Jacobo Alvarez, ac Theologis, est actio libera debita rectitudine carens, qua quis legem se obligantem transgreditur. JAC. ALVAR., l. I, p. c. 1. Quomodo enim effigies peccatum artis est, si regulis artis ac exemplari non consentiat; ita et humana actio peccatum moris est, si a dictamine rectæ rationis et legis divinæ, quæ sunt exemplar, et regula recte vivendi, discedat. Unde S. Dionysius Areopagita sic illud describit: Peccatum est malum, privatio et defectio, infirmitas, inconvenientia, atque frustratio, et destinatione, pulchritudine, vita, sensu, ratione, perfectione ac sede, et causa privatim, indefinitum, infæcundum, otiosum, imbecillum, inordinatum, dissimile, infinitum, tenebrosum, carensque substantia, et ipsum nullo modo, nusquam et nihil existens. S. DIONYS., de *Divin. nom.*, c. IV, p. IV.

Distinguitur peccatum a « crimine, » sicut excedens ab excessu; eo quod « crimine » peccatum aliquod grande significet, peccatum autem, et gravia et levia peccata involvat. Hinc S. Augustinus ait: Neque enim quia peccatum est omne crimen, ideo crimen etiam est omne peccatum. Itaque sanctorum hominum vitam, quamdiu in hac morte vivit, inveniri posse dicimur sine crimine: peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait S. Apostolus, nosmetipsos seducimus, et veritas in nobis non est.

Distinguitur quoque peccatum a « vitio, » quia peccatum significat operationem, et actum malum: « vitium » vero habitum, qui ad actum vitiosum inclinatur, significat; quod quidem vitium sanctus Bernardus sequentibus verbis optime depinxit. Vitium est privatio virtutis cujus vastitas et enormitas tanta est, ut obruat, et opprimat: fœditas tanta, ut inquinat et inficiat: adhæsiō tam pertinax consuetudinis, ut vix a se eam natura excutiat. Vitium est quasi corruptus humor, qui non in corpore, sed in anima morbos peccatorum procreat, plagas et fœda vulnera generat et spirituales salutem dominari non sinit. Vitium est radix mortis, omnium malorum origo, quia est origo peccati, in quo omnium malorum cumulo invenitur. Vitium est indicium infamiæ, et signum ignominie, quod illo affectos a nobilitate, idest studiosorum, ac perfectorum hominum consortio repellit. Vitium est sordidum indumentum, quod nos ad nuptiasagni vocatos, illius convivio et mensa reddit indignos. Vitium est catena et vinculum, animam in carcere rerum terrenarum ritinens. Vitium est laqueus, de quo dictum est: In via hæc, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi, quod nos fervos Adversarii humani generis ac mancipia constituit. Vitium est dirus tyrannus, juxta S. Chrysostomum, qui nostram libertatem eripit, et operibus luti ac lateris satis laboriosis addicit. Vitiā hostes nostri sunt, et gentes nobis infestæ atque inimicæ, de quibus in *Deuteronomio* dictum est: Non inibis cum eis fœdus, nec miseraberis earum, neque sociabis cum eis conjugia. S. BERN., ad *Frat. de Monte Dei.*

Dividitur quinquè potissimum modis. 1. « Ab objectis: » et sic dividitur n